XXXVII
FOSCH

AD GREGORIUM XIIII PONT. OPT. MAX.

PRO VII PAGIS HELVETIORUM CATHOLICORUM

ORATIO

IULII ROSCII HORTINI

HABITA IN PUBLICO S. R. E. CARDINALIUM CONCISTORIO VII ID. MARTII CIↃ IↃ XCI



ROMAE, Apud Iacobum Ruffinellum.
M. D. XCI.
PERMISSU SUPERIORUM.

31


AD GREGORIVM XIIII PONT. OPT. MAX.

PRO VII PAGIS HELVETIORVM CATHOLICORVM

ORATIO

IVLII ROSCII HORTINI

HABITA IN PVBLICO S. R. E. CARDINALIVM CONSISTORIO VII ID. MARTII CIϽ IϽ XCI



ROMAE, Apud Iacobum Ruffinellum.
M. D. XCI.
PERMISSV SVPERIORVM.

32

IODOCO SEGESSERO viro nobili, generoso, ac Pontificiae custodiae Praefecto

IO: IACOBVS SANDTHOLTZER S. P. D

HOC mihi iure vendico, vt qui tibi, Iodoce auuncule, plurimum debeo; Iulij Roscij Hortini orationẽ pro VII Pagis Catholicis Heluetiorũ in sacrosancto Concistorio S. R. E. Cardinaliũ ad GREGORIVM XIV habitam, typis mandarẽ. Id vero mihi ideo assumpsi, quod eam actionem & orationis, & oratoris ipsius nomine, sacro illi Senatui, tibiq. gratissimam fuisse intelligo; ad quem potissimum eius ornamenta pertinent, qui orator ad duos GREGORIOS, ac Senator Lucernensis es, qui Pagus ceterorum Catholicorum primarius celebratur. Tibi igitur generose Iodoce eam dico, vt habeas a Romano Oratore hoc erga Heluetios Catholicos obseruantiae testimonium. Vale Romae ex Vaticano VII. Idus Martij CIↃ IↃ XCI.

IN INSIGNIA IODOCI SEGESSERI VIRI ILL: ET PRAEFECTI CVSTODIAE PONTIFICIAE.

IVLII ROSCII HORTINI

QVAE nitida assurgunt flauentes casside aristae,
Clara Segesseriae sunt monumenta domus.
Illae anni incipiunt, claudunt, renouantq. labores
Ocia nec campos ducere longa sinunt.
Sic tibi par Martis Iodoce & cura Mineruae
Non desit solitus nocte dieque labor.
Aduigilas Vaticano, patriaq. cohorte
GREGORII seruas fulgidus aere latus.
Quid faciũt Cereris cũ Marte & Pallade signa?
Haec sunt emeritae praemia militiae.

IVLII ROSCII HORTINI ORATIO

IN hac publica laetitia, quam cõcepit populus Chriſtianus, vbi vnanimi horum Ampliſsimorũ Patrum cõſenſu ſummus Pont. renunciatus es P. B. tantam animo voluptatẽ acceperũt Heluetij Catholici, vt curſũ praeuerterint plurimorũ opinionẽ, ac Oratori vix ſatis temporis ad meditandum reliquerint. Nec quidem immerito, tum vt peruete rem, ac debitã huic ſacroſanctae Sedi obedientiam declararent, tum vt ſupremum hunc dignitatis gradum, ad quos potiſsimum eius fructus pertineret, qua poſſent celeritate maxima gratularentur. Eſt Heluetiorum populus, ſiue ſaecula illa priora ſpectemus, quibus Chriſtianam fidem amplexus eſt, antiquiſsimus, ſiue tempora animaduertamus, quibus pro eiuſdem fidei defenſione plurimi ſua corpora obijecerunt, fortiſsimus, ſiue denique eorum conatus cõſideremus, qui eas terras pietatis cultu extulerũt, religioſiſsimus. Praetereo hauſtae Euangelicae lucis initia, quae ſui memoria vetuſtiora ſunt, quàm vt his temporum

his tem-

his tēporū anguſtijs, aut hoc loco grauiſsimo repetantur, cū ab ipſis nō domi modo verus humanae ſalutis autori cultus exhibitus ſit; ſed foris etiam difficillimis Eccleſiae tēporibus inſigni Heluetiorum laude enituerit. Mille ducenti, & eo amplius anni effluxere, ex quo ſub Anaſtaſio Pont. acerrimos religionis defenſores dedit ea Prouincia. Poſtea ſecuta ſunt tempora, vtinā non tam frequens incidiſſet occaſio, vt expeditis armis non modo veterem fidem praeſtare; ſed etiam ſanguine teſtari oportuerit. Nimirum Heluetij, poſthabitis proprijs rationibus, non humanae ſpe mercedis; ſed eius, quae in caelis eſt, aeternae retributionis praemio adducti; hanc Vrbem Religionis, ac fidei domicilium, hanc Pedem pietatis non minori conatu, quàm proprios lares, vnde ſpiritum hauſerant, & vitam, ab inimicorum audacia defendendam, ac conſeruandam ſibi ſtatuerunt. His, alijſque plurimis nominibus tam generoſae gentis ſtudium, atque obſequium praecipua quadam paternae Charitatis ſignificatione, qui olim ſederunt in hoc ipſo ſolio, in quo te diu, ac feliciſsime eſſe cupimus, complexi ſunt. Iulius ſecundus, qui horum fidem, ac fortitudinem in pluribus periculis expertus fuerat, glorioſo defenſorum Eccleſiaſticae libertatis titulo hos ipſos Heluetios extulit. Quem titulum plane ſingularem augens Pius V. Magnus ille Pontifex, fidei Catholicae propugnatores eoſdem nuncupauit, vt quorum in conſilio lingua, ita in certamine dextera praeſtaret: quibus duobus Romani

ex an-

ex angustissimis terminis imperium suum pene Solis regionibus, & mundi ipsius fine distenderunt. Non multum remota sunt à nostra memoria praelia illa paucis interiectis diebus pro fide suscepta, eademque felicissime confecta, tum ad Pagi Tigurini fines, tum ad Tugiũ. Atque haec quidẽ in Heluetia. Quid dicam in Gallia? Carolum IX praesidijs destitutum, de suis rebus diffidentem, ac pene desperantem, iamque non tam de regni propagatione, aut conseruatione, quàm de exilio, ac vitae discrimine cogitantem, hostium represso, fractoque impetu sex millia Heluetiorũ saluum, atque incolumem in regiam perduxerunt. Sic enim existimabant, Galliae regnum, si ab impiorum conatibus integrum retineretur, se nõ tam Galliae, quam huic Vrbi, atq; Italiae periclitanti consuluisse. Ad cuius salutem te P. B. ad quem omnium Ecclesiarum pertinet sollicitudo, in tantis periculis diuinitus Pontificẽ Maximum electum fuisse, vt gaudent, ita vere, atque ex animo fidem, venerationem, atque obedientiam praestant. Haec omnia pollicentur qui adsunt Oratores. Horum alter est Melchior Lusius, Vir Illustris, Eques Auratus, copiarum Heluetiarum, Venetarumque ductor, ad Pontifices quatuor, Regesque, Galliarum, & Hispaniarum Orator, Orator etiam ad Tridentinum Concilium: cuius in disceptationibus de fide grauissimis Virtus tua P. B. quasi lux splendidissima inter minora sidera eluxit. Alter oratorũ est Iodocus Segesserus, Vir pius, & generosus, nobilissima familia ortus, Sena-

tor Lucernensis, aureo insignis torque, Praetorianae Custodiae praefectus, qui pluribus Pontificibus industriam, fidem, ac vigilantiam suam probauit, idemque oratoris munus sustinuit vna cum eodem Melchiore Lusio missus ad Gregorium XIII: Cuius vt nomen, ita famam vitae cursu felicissimo renouabis. Tertius vero orator Io. Iacobus Trogerius, Eques itē Auratus, Amanus, & Senator Vraniēsis ad certa, & singularia triū Catholicorū Pagorū peragēda negocia, ad hanc ipsam Sedē sanctissimā delegatus est. Hi pari voltate, pari studio, pari animi propensione erga hanc Apostolicam Pedem ad tuos pedes prostrati Te summum pastorem suo & Heluetiorum nomine cōsalutant, ac supplices venerantur. Iidem pro veteri Christianorum Principum more, institutoque maiorum suorum, quorum altissime impressa vestigia sequuntur, eam caussam antiquissimam mittendi hos insignes Oratores fuisse cōfirmant, vt pollicerentur opes, copias, praesidia, familias, liberos, vitam ipsam; qui non modo natos, sed & qui nascentur quibuscūque tēporibus ad huius Petri Chatedrae, ditionisq; Ecclesiasticae defensionem, ac propagationem quasi in lucem editos, armatosque multo ante deuouerint, ac dedicarint. Quidquid denique in ipsis est promptum, ac paratum & esse, & fore ad nutum Beatitudinis Tuae atque imperium profitentur, dum interim non desistunt in ipsis haereticorum faucibus eam fidem tueri, quam à Petri successoribus se accepisse meminerunt. Quorum praeclaros in religionis

cursu

cursu, progressus, ac prouentus plane admirabiles quam adiuuerit Octauij Parauicini S. R. E. Cardinalis ardor dici non potest; qui recens contexta purpura merito ornatus, in illis, in causa fidei, concertationibus optauit semper, cupitque maxime eandem suo sanguine consecrare. Deum consolationum, ac misericordiarum parentem humi strati precamur, vt qui lucis suae radios usquequaque diffundit, illi etiam parti, quae in tenebris sedet, lumen clementiae suae ostendat, vt non modo septem has eius Poli stellas clarissimas in Romana Ecclesia elucere; sed vniuersam Heluetiorum regionem diuina luce circumfusam suis auulsam sedibus ad tuos sanctissimos pedes GREGORI Opt. Max. prouolui videamus.

MARCELLI VESTRII BARBIANI

VTRIVSQVE SIGNAT. REFEREND. ET SECRET. APOSTOLICI DOMESTICI S. D. N. GREGORII XIIII. NOMINE RESPONSIO.

CATHOLICA Ecclesia, Viri Heluetij, & praestantes Oratores, quae inter haereses quasi rosa inter spinas florens odorem suauitatis emittit, & tanquàm frumentum inter Zizania crescens vitae panem praebet, quaeq́; Solis instar errorum caliginem discutit, & sicut Turris fortitudinis impugnantium conatus inconcussa repellit, insignes fructus ex vobis hoc tempore referre non modò vestrorum, sed finitimorum etiàm Populorum causa laetatur. Quod ad vos quidem attinet, caeteris satis sit bonos esse inter bonos, Heluetijs certè satis non est bonos esse inter bonos, nisi etiàm boni sint inter malos. De vestris igitur fructibus, qui ipsi Ecclesiae peculiares sunt, magnopere gaudet. De finitimis verò populis, eadem Ecclesia pia om-

nium mater à vestræ redolentis pietatis fragrantia à custoditi seminis verbi Dei virtute, à communicatæ veritatis luce, à retentæ deniq. fidei præsidio, sperat eorum mentes bonorum operum quasi aromatum odore perfusas, & Apostolicæ prædicationis tanquàm superiniectæ frugis vi repullulantes Euangelicæ veritatis splendorem, quem nunc intueri recusant, tandem perspecturas, & Ecclesiasticæ potestati, cui obsistunt, manus aliquando daturas. Atq. hæc est præcipua, quam boni cum exultatione probant, gratulandi occasio, & vera, quam Sanctitas sua cum iucunditate sentit, gratulationem excipiendi causa. Obedientiam igitur, quam eorundem Heluetiorum nomine præstatis, S. sua vna cum venerabilibus his Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus benignè recipit, veterem obseruantiam agnoscit, singularem pietatem commendat, consilia demum, & deliberationes pro Dei Christi gloria tueri desiderat. Hæc sunt, quæ mærentem consolantur, & quæ laborantem releuant. Iniunctæ nimirum supremæ sollicitudinis ratio, quæ à fidelium salutis desiderio proficiscitur, à subditorum quoq. virtute sustinetur, & ex studio, quo Pastor vigilat, grex proficit, & ex profectu gregis lætatur cura Pastoris.

IV-

IVLII ROSCII HORTINI
DE ROM. VRBIS PVBLICA LAETITIA IN CREATIONE GREGORII XIIII. PONT. MAX.

VT micat astriferi facies nitidissima olympi
Cynthia nocturnum dum vaga currit iter:
Sic tu Roma nites stellarum imitata paratus,
Aemula GREGORIO Principe facta Polo,
Qui te nunc spectat merito miratur in vna
Luminibus sparsis aurea tecta Iouis.